



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Declarationes Sacræ Congreg. Circa Decreta Concilii Tridentini de  
Matrimonio, & Sponsalibus ex sessione 24. Consule, legeq[ue]; diligenter  
caput primum Concilij Trid. de reformatione Matrimonij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**



DECLARATIONES  
SACRÆ CONGREG.

CIRCA DECRETA CONCILII  
*Tridentini de Matrimonio, & Sponsa-  
libus ex sessione 24.*

Consule, legeq; diligenter caput primum Con-  
cilij Trid. de reformatione Matrimonij.

*De publicatione decreti circa Matrimonium editi  
à Conc. Trid. sess. 24. Cap. 1.*

SECTIO I.

**D**OST dies 30. Decretum Concilij  
Tridentini irritans matrimonia clā-  
destine contracta, absque licentia  
proprij Parochi, incipit habere ro-  
bur post 30. dies à die publicationis ipsius. De-  
creti in Parochiæ factæ: quæ tamen publicatio  
sic facta post Calendas Maij 1564. iuxta bullam  
Pij IV, tenet: Sicque duplex tempus concu-  
rere debet vnum post dictas Calendas Maij anni  
1594. alterum post 30. dies à publicatione; adeo  
vt si ante dictas Calendas facta fuisset publica-  
tio, decretum non obligasset matrimonia con-  
tracta ante publicationem præteritam Decreti  
de Reformat. Matrimonij in Parochia contra-  
hentium factam: ideo ante publicationem irri-  
ta non sunt, nec irrita declaranda.

2. Ea matrimonia irrita à Concilio Tridenti-  
no declarantur, quæ post 30. dies, à die publica-  
tionis

tionis decreti in Parochia factæ clandestine contrahuntur.

3. Vbi Concil. Tridentinum nondum publicatum fuit, vel intra 30. dies à die publicationis, matrimonia non sunt irrita.

4. A die primæ publicationis. Hoc decretum reformationis matrimonij ad hoc, vt robur suum accipiat, necesse in Parochijs publicatis; nec eius publicatio in diœcesana synodo facta æquipollet.

5. Publicatio decreti Concilij Tridentini de reformatione matrimonij in Synodo Diœcesana non æquipollet illi publicationi, quam idem Concilium præcipit fieri in singulis Ecclesijs Parochialibus.

6. Si verba hæc, videlicet quod fierent matrimonia præsentibus Parocho, & testibus, alioquin essent irrita, fuerint publicata in parochia, sufficit & æquipollet publicationi totius decreti, quantum ad matrimonij irrationem.

## DE DENUNCIATIONIBVS præmittendis.

### SECTIO II.

7. **P**UBLICE denuntietur, denunciations si omitterentur, per hoc matrimonium irritum non est, seruatis tamen cæteris requisitis.

8. Quibus denunciationibus factis Concilij Rauennat. 2. fuit approbatum decretum in Congregatione, quod hi, qui peractis denunciationibus intra quatuor menses nō contraxerint,

rint, non possint contrahere, nisi iterum peractis denuntiationibus, arbitrio tamen Episcopi.

9. Matrimonium, si antequam fiant publicæ denuntiationes, consummatum sit; seu, factis denuntiationibus, consummatum itidem sit, antequam coram Parocho, & testibus celebratur, est verum matrimonium, si postea contractum sit coram Parocho & testibus, & nullum aliud adsit impedimentum. Vbi vero talis est abusus, scilicet, quod matrimonium consummetur antequam factæ sint denuntiationes, seu post & antequam contractum sit per verba de præsentibus coram Parocho & testibus, est omnino tollendus; & qui id commiserunt, & in posterum committent, puniri debent, non pœna stupri, sed dumtaxat arbitraria.

10. Sponsus, qui sponsam seduxit, & stupravit, non potest puniri ab Episcopo pœna contractuum à sacris Canonibus inflicta, prætextu, quod hodie ex hoc decreto Concilij sponsalia post copulam subsecutam non transeunt in vim matrimonij, ut erat ante Conc. sed grauius arbitrio Ordinarij dumtaxat sunt puniendi ex hoc decreto.

11. Monendi tamen sunt, ut factis sponsalibus, quamprimum contrahant matrimonium per verba de præsentibus, coram Parocho & testibus; ne sponsi hoc periculum subeant; maxime si ipse à sponsa ante consummationem matrimonij, id petierit.

12. Curare debent Ordinarij, ut sponsi factis sponsalibus, quamprimum contrahant matrimo-

matrimonium per verba de presenti coram Parocho,  
ad stupri periculum euitandum.

In regionibus, in quibus factis tribus denun-  
tiationibus, sponsi se carnaliter cognoscunt, E-  
piscopi providere debent, vt Parochus, vltima  
denuntiatione absoluta, in matrimonio illos  
subito coniungat, ad stupri periculum euitan-  
dum.

13. Si secunda publicatione in Ecclesia facta  
sequatur copula carnalis, etiam Curato Paro-  
cho, vt veniret ad celebrandum matrimonium,  
non est tamen matrimonium licet mutuus con-  
sensus, & mutuae promissiones interuenerint,  
instante tamen vna parte alteri ad contrahen-  
dum, agendum est, *cap. ex literis 2. de sponsal.*

14. In facie Ecclesiae. In priuatis etiam domi-  
bus matrimonia celebrari possunt, dummodo  
proprie Parochus praesens sit.

15. Qui promiserunt contrahere matrimo-  
nium coram Parocho, & testibus, & notario,  
qui recipit desuper instrumentum, cum iura-  
mento in manibus ipsius Parochi praestito: de-  
inde sequuta est inter eos copula carnalis, nullis  
factis denuntiationibus, sunt puniendi grauius  
arbitrio Ordinarij, qui debet, tale matrimo-  
nium nullum esse declarare; & si postea volue-  
rint contrahere per verba de presenti, id eis  
permittitur, seruatis ex hoc decreto Concilij  
seruandis, & dummodo nullum aliud impedi-  
mentum legitimum adsit. Si alter quoque al-  
terum voluerit cogere ad obseruanda sponsalia  
iurata, iuxta dispositionem *cap. ex literis de  
sponsalibus*, id eis permittitur.

16. Ordinarius non potest prohibere, quin matrimonium domi celebretur, seruata forma Concilij, cum tamen maxime deceret, vt in Ecclesia celebretur, ad hoc hortari debet, non tamen præcipere.

17. Si tot præcellerint denuntiationes. Vbi propter publicas denuncitationes matrimoniū malitiose impediri potest, illis omissis coram Parocho, vel alio Sacerdote, vel Episcopi licentia vel tribus testibus adhibitis per verba de presenti contrahere possunt: quo facto, antequam deueniant ad consummationem, semel, vel bis erunt faciendæ denuntiationes.

18. Vna tantum denunciatio fiat arbitrio Ordinarij, non Parochi,

19. Nisi Ordinarius ipse, Episcopus potest etiam post matrimonium contractum, ante illius consummationem, si ita expedire iudicauerit, secundum prudentiam suam, & iudicium ex aliqua causa, arbitrio suo remittere denuntiationes; etiamsi non sit suspicio, quod matrimonium malitiose impediatur.

20. Non permittitur hæc facultas Commendatario, licet eius Abbatia iura episcopalia habeat; cuius Abbas appellatione Ordinarij venit, iuxta Glossam in cap. fin. de Off. Ord. in 6. dicitur enim S. D. N. quod Ordinarius hic non intelligitur, nisi Episcopus: tamen Cardinali Farnesio commendatario Farsensis Monasterij fuit permissum, non autem eius Vicario.

21. Non solum ex causis hic expressis possunt hæc denuntiationes omitti: sed alijs etiam, arbitrio Ordinarij, qui illas remittere potest, etiam

post contractum matrimonium, & ante illius consummationem.

22. Ut præteritæ denuntiationes remittantur, Episcopus potest post contractum matrimonium, ante illius consummationem remittere denuntiationes; si ita expedire iudicauerit.

23. Præter causas à Concilio hic expressas super omissione denuntiationum etiam aliæ sunt sufficientes, secundum Ordinarij prudentiam & iudicium.

24. Quod in illius prudentia, &c. Et potest Episcopus ex alia causa arbitrio suo remittere denuntiationes, etiam si non sit suspicio, quod matrimonium malitiose secundum eius prudentiam, & iudicium impediatur.

25. Potest etiam secundum tamen eius prudentiam, & iudicium, ob vicinitatem temporis, quo prohiberæ sunt nuptiæ, remittere aliquas denuntiationes; sed non potest iubere diebus non festis.

26. An ommissio edictorum, quæ præcedere debent celebrationem matrimonij, ex constitutionibus synodalibus diœcesis, & ex consuetudine immemorabili; quam seruandam esse etiam post Concilij Tridentini Congregatio declarauit, reddat matrimonium clandestinum, prolemque illegitimam, perinde ac si matrimonium contractum esset sine Parocho & testibus?  
R. Congregatio censuit negatiuè.

27. Si ommissa fuerint culpa Parochi, non vitietur matrimonium.

DE PROPRIO CONTRAHENTIVM  
Parocho, & forma verborum, ac de spou-  
salibus de futuro.

*Declarationes Sacra Congregationis.*

S E C T I O III.

28. **T**er à proprio quando matrimonium contrahitur inter duos de diuersis parochijs, debent in ambabus fieri denuntiationes.
29. A proprio contrahentium Parocho. Proprius parochus est, in cuius Parochia contrahentes habitant, quo tempore matrimonium contrahunt.
30. Proprius parochus erit parochus vxoris, si matrimoniū in domo vxoris contrahatur, quando scilicet vir accedit ad domum vxoris pro contrahendo & consummando matrimonio.
31. Quando contrahitur matrimonium inter duos alienigenas, & à paruo tempore in aliquo loco habitantes, qui tamen sint cogniti, ita vt non sint de comprehensis inter vagabundos, proprius eorum parochus esse intelligatur, in parochia quam habitant eo tempore, quo matrimonium contrahunt.
32. Quando contrahitur matrimonium inter virum, qui sit de vna Parochia, & mulierem de altera, sufficit, si contrahatur coram proprio Parocho mulieris in parochia mulieris, vel coram Parocho viri in parochia viri; sic Congregatio censuit, quod ipse Gregor. XIII. confirmauit, & contra Nau. cap. 25. num 144. in no-



in noua tamen editione consensit Congregationi.

33. Vbi Parochus viro & muliere interrogatis, Matrimonium contractum coram coadiutore in administraendis Sacramentis Parochi, vel Vicarij perpetui in illa Parochia valet.

34. Item valet, si fuerit contractum coram Parocho notorio fornicatore: non tamen in iudicio condemuato, vel confesso.

35. Ego vos in matrimonium. Et si Parochus nihil dicat, constat tamen matrimonium, modo partes contrahant.

36. Vel alijs vtatur verbis. Non pertinet ad substantiam matrimonij, vt Parochus aliqua verba proferat, idemque valet matrimonium, in quo verba exprimentia consensum, prolata sint tamen à contrahentibus, dummodo Parochus adhibitus à contrahentibus sit præsens, & intelligat id quod agitur, licet dissentiat, & contradicat; adhibitus verò Parochus intelligitur etiam si ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

37. Iuxta receptum vniuscuiusque Ecclesiæ ritum. Quæ verba non pertinent ad substantiam matrimonij Sacramenti, ideoque valet matrimonium, etiam quod verba consensus, prolata sint, tamen à contrahentibus, non à Parocho, dummodo adsit præsentia Parochi, quæ sufficit absque ipsius Parochi verbis.

38. Qui aliter, quam præsentem Parocho. Hic versus non habet locum in sponsalibus de futuro, sed tamen in matrimonio per verba de præsentem; & qui contrahit sponsalia de futuro,

& consummauerit, potest puniri, & matrimonium erit nullum; poterit tamen qui sponsalia contraxerit, compelli ad obseruantiam, iuxta *c. ex litteris. 3. de spons.*

39. Martha, quæ contraxit sponsalia de futuro cum N. cum quo carnalis copula sequuta est, potuit ingredi monasterium, & habitum Religionis suscipere, in eo permanere, & profiteri, & postquam professionem emisit, tunc ab Ordinario pronuntiandum licere N. matrimonium libere contrahere cum alia muliere.

40. Decretum hoc annullat solum contractus matrimonij per verba de præsentis clandestine factos, sponsalia verò per verba de futuro, relinquit in terminis iuris communis, præterquam quod per copulam præfatam sponsalia in matrimonium non transibunt.

41. An prohibitio facta ab Ordinario, ne Parochus in matrimonium coniungat aliquos irrollatur, seu suspendatur iurisdictio Parochi, ut ad celebrandum matrimonium non sit legitimus Parochus, matrimoniumq; coram eo contractum nullum sit? R. Congregatio, matrimonium valere. Quod si hæc prohibitio facta sit, non ipsi Rectori principali, sed eius Vicario, qui ad nutum Ordinarij, amoueri potest, an matrimonium, in quo contra Ordinarij prohibitionem Vicarius iste interuenit, validum sit? Resp. Congregatio validum esse matrimonium.

42. Qui aliter, quam præsentis Parocho. Matrimonium contractum coram testibus, sed sine Parocho, vel alio Sacerdote de eius licentia, post Concilij Tridentini non solum est nullum, sed

nec

nec vim habet sponsaliorum adeo quod contrahentes ad denuo contrahendum compelli possunt.

43. Contrahens non præsente Parocho graui-  
ter puniendus est, & potest postea nihilominus  
seruata forma Concilij contrahere.

44. Qui matrimonium clandestine, & sine Pa-  
rocho contraxerunt, & consummarunt, possunt  
si nullum aliud impedimentum adest, sine dis-  
putatione Apostolica de nouo contrahere ma-  
trimonium in facie Ecclesiæ; sic tamen contra-  
hentes, & testes, & Notarius, qui clandestino  
contractui interfuerunt, grauius arbitraria pœ-  
na puniendi sunt.

45. Qui matrimonium extra præsentiam Pa-  
rochi proprij, vel eius Vicarij, & testium clan-  
destine contraxerunt, & consummarunt, Ordi-  
narij, vel eius Vicarij arbitrio grauius punien-  
di; deinde si nullum alium adsit impedimentum,  
ac ipsi in matrimonium consentiant, permitten-  
dum est eis, vt illud de nouo contrahant, seruatis  
tamen seruandis ex decreto huius cap.

46. Matrimonium quod non contrahitur in  
præsentia Parocho proprij aut alterius Sacerdo-  
tis de ipsius Parocho, vel Ordinarij licentia, nul-  
lum est, ipsique contrahentes grauius punien-  
di sunt; estque solum necessarium ad hoc, vt  
contractus matrimonij sit validus quod præsente  
Parocho proprio contrahentium, vel alio Sa-  
cerdote de ipsius, vel Ordinarij licentia, & co-  
ram testibus verba de præsenti ab vtroque con-  
trahentium proferantur, nec ex omissione de-  
nunciationum matrimonium prædicto modo esse  
nullum

V 7

47. De-

47. Decretum hoc, quo statuitur, ut matrimonij contractus fiant solemniter coram parochio, & testibus, habet dumtaxat locum in matrimonio per verba de presenti; non tamen cum sponsalia per verba de futuro contrahuntur.

48. Satis est, si matrimonium coram parochio, & testibus contrahatur per verba de presenti, etiam si contrahentes valuis tunc adstent; denuntiationes tamen trinæ, & Sacerdotales benedictiones in Ecclesia faciendæ sunt.

49. Parochus ita præsens matrimonio debet esse, ut appareat à contrahentibus hac de causa adhibitum fuisse; secus si casu præsens fuisset.

50. An vero, si inuitus, & compulsus per vim, adsit parochus, dum contrahitur matrimonium præcedente, vel non præcedente supra dicta prohibitione Ordinarij, tale matrimonium subsistat. R. Congregatio, subsistere.

51. Et quid, si Parochus adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel audiuit, utrum tale matrimonium sit nullum? R. Congregatio matrimonium non valere, si non intellexit, nisi ipse Parochus affectasset non intelligere.

52. Matrimonium contractum non seruata forma Concilij Tridentini, licet certam inter se de contrahendo matrimonio fidem dederint, & postea coram testibus sine Parochio de presenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos subsequuta, nec in sponsalia de futuro resoluitur, ita ut cogi possint corrupta Concilij Trid. forma, contrahere; sic responsum est Episcopo Patauin.

53. Si in parochia mulieris contrabatur, præ-  
sente paroco eius tenere matrimonium.

54. Clandestina matrimonia hic solum prohi-  
bentur, non autem illæ promissiones, quæ ma-  
trimonia præcedere solent, quæ factæ seruandæ  
sunt, sicut ante Concilium.

55. Matrimonium contractum clandestine in-  
ter puberem & puberem in sponsalia de futuro  
resoluitur per capitulum vnic. §. 2. de sponsal. im-  
pub. in 6.

56. Etiam si coram Paroco, & testibus con-  
trahantur sponsalia, licet postea sequatur copu-  
la, matrimonium nihilominus non cesset;   
possunt tamen denuo contrahere seruatis ser-  
uandis.

57. Matrimonium contractum absque præ-  
sencia Parochi, seu alterius sacerdotis, de ipsius  
Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus vel  
tribus testibus in vim sponsaliorum non resol-  
uitur, ita vt contrahentes ad denuo contrahen-  
dum seruata forma Concilij Tridentini com-  
pellantur.

58. An matrimonium non præsente paroco  
contractum in regno hæretica prauitate infe-  
cto, qualis est Anglia, vbi non est copia Paro-  
chorum, sit irritum, & nullum, & ex præsente  
decreto, videlicet, quod ad talia matrimonia ex-  
tendatur; eosque ad sic contrahendum reddat  
inhabiles? R. Congregatio Concil. censuit non  
extendi, si in illa Ecclesia, in cuius parochia tunc  
habitant contrahentes, non dum eo tempore,  
quo sic contraxerunt, erant, vt palam dicitur,  
publicatum hoc decretum.

59. An

59. An puella, quæ contraxit sponsalia copula subsecuta, & postea habitum religionis suscipit, possit in ea profiteri, & vir sit liber ad contrahendum cum alia; R. S. D. N. audita relatione ad Congregationis Concil. declaravit puellam sic posse, & postquam ea professionem emisserit, tunc ab Ordinario pronuciandum licere viro libere matrimonium contrahere cum alia uxore.

An matrimonium inter hæreticos, non servata forma Concil. contracta valida existant? R. Congregatio censuit non existere, si contracta sint post 30. dies à publicatione Decreti huius facta in Ecclesia eius parochiæ; intra cuius fines habitant hæretici.

60. De ipsius Parochi. Generalis licentia alicui Sacerdoti à Parocho in scriptis data exercendi scilicet omnia, quæ Parochi officium concernunt, sufficit ad matrimonij coram illo Sacerdote celebrati validitatem.

61. Vel alio Sacerdote. Si Sacerdos alienus non habuit licentiam, neque ab Ordinario, neque à proprio contrahentium Parocho, Ordinarius non debet irritare matrimonium, sed tamen declarare irritum: quia cum Concilium illud irritum fecerit, non est ulterius irritandum: sed opus est sola declaratione, quod irritum sit, etiam si esset Parochus, sed non contrahentium, & si sunt diuersarum parochiarum, sufficit, ut sit Parochus siue viri, siue mulieris.

62. Parochi, seu Ordinarij licentia. Licet proprius Parochus non celebret matrimonium, sed alius de Episcopi consensu, matrimonium te-

net.

net, etiamsi Episcopus vocatum crederet proprium Parochum.

63. Seu Ordinarij licentia. Intelligitur etiam de generali Vicario Episcopi, qui hanc licentiam concedere poterit.

64. Nec sufficit tacita, quæ resultat ex tolerantia, requiritur vero vel commissio generalis administrandi omnia Sacramenta, vel si hæc non adsit, expressa, & specialis licentia.

65. Vicarij etiam temporales, ad nutum amovibiles, Ecclesiæ parochialis, qui Sacramenta administrant, & matrimonijs interveniunt sicut ipsi interuenire possunt, ita etiam dare licentiam alijs possunt interueniendi. Ita decidit Rota in vna Barchinonensi.

66. Ad sic contrahendum Congreg. declarauit hoc non procedere in sponsalibus.

67. Omnino inhabiles redditi. Hic vers. nihil pertinet ad sponsalia per verba de futuro contracta, sed tantum intelligitur de matrimonio per verba de præsentis contracto.

68. Ordinarius iudicare debet matrimonia illa nulla esse, quæ præsentis Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Episcopi licentia, & duobus vel tribus testibus contracta non sunt, statuere autem non debet, quod illi, qui non seruata forma prædicta contraxerunt, sint inhabiles ad contrahendum, quia est contra dispositionem huius capit. per verba enim illa decreti ad sic contrahendum, non intelligitur, quod ex quo extra formam decreti matrimonium contraxerunt, simpliciter inhabiles fiant ad rursus contrahendum; sed ad contrahendum sic: nempe in

pe, in eum modum, sine parcho, & testibus. Quare qui in contrahendis matrimonijs formam secuti non sunt, rursus contrahere, si velint, ex decreti præscripto, id est, adhibito parcho, & testibus, hoc Ordinarius illos concedere debet; nisi sanguinis coniunctione, aut propinquitate, aut alijs sacrorum Canonum exceptionibus excludantur. Qui idem Ordinarius tam in eos, qui matrimonium sine Parcho, & testibus contraxerunt, quam in eos etiam, qui istius modi contractibus interfuerunt, pœna arbitraria debet animadvertere.

69. Irritos, & nullos esse decernit. Matrimonium contractum coram Sacerdote, qui nec ab Ordinario, nec à proprio contrahentium Parcho licentiam habuit, non debet per Ordinarium irritari, sed tamen declarari irritum esse, cum enim Concilium Tridentinum illud irritum fecerit, non alias irritandum, sed opus solum declaratione irritum sit.

70. Matrimonia per verba de præsentis contractu clandestine, irrita, & nulla sunt: sponsalia autem per verba de futuro contracta sunt in illis terminis, in quibus erant ante Concilium.

71. An sit matrimonium, si duò contrabant per verba de præsentis, proprio Parcho præsentis, & alijs requisitis non omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit; sed dum forsitan conuiuij vel confabulationis, aut aliud tractandi causa adesset, audit huiusmodi contractum fieri; & postea alter contrahentium velit ab huiusmodi contractu, ratione huius defectus resilire? R. Congregatio posse, nisi alia  
inter



interuenerint, quæ Parochum à contrahenti-  
bus adhibitum fuisse arguant; quod dicitur ad-  
hibitus, vt supra, quamuis ex alia causa esset vo-  
catus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

72. Irritos facit, & annullat. De matrimo-  
nij clandestini inualiditate agitur in ijs locis, in  
quibus illud decretum iam publicatum fuit.  
Quid de illis locis censendum est in quibus con-  
siliium Episcoporum, aut Parochorum malitia,  
vel crassa, ac supina negligentia non est publi-  
catum hæctenus? Deinde quid est faciendum,  
cum duo clandestine contrahunt, aut contraxe-  
runt, & in vnus parochia publicatum fuit hoc  
decretum, in alterius non item, in qua con-  
trahunt simul? Tertio, quid faciendum cum  
ijs, qui post contractum clandestinum matrimo-  
nium, idque siue ante Concilium, siue  
post, decreta tamen hoc non publicato au-  
thoritate imprudentis Episcopi, aut ignoran-  
tis Parochi, fuerint, & postea cum alijs publi-  
cè contraxerunt, neque iam sine grauissimo  
scandalo separari possunt? Resp. Ad primum  
Congregatio decretum Concilij non obliga-  
re, si in Parochia vbi contractum fuit matrimo-  
nium, nec dum erat publicatum, & tri-  
ginta dies à die primæ publicationis nec dum  
fuerant elapsi, quantumuis vel malitia, vel  
crassa negligentia omiffa fuerit huiusmodi  
publicatio. Ad secundum itidem, non ob-  
ligare decretum nondum in ea parochia,  
vbi contrahitur, publicatum, vt dictum est.  
Ad tertium, primum matrimonium esse va-  
lidum, ideoque in eos, qui pacto spreto ad  
secun-

secun-

secundum conuolarunt, statuendum prout à iure disponitur.

73. Qui clandestine contraxerunt, & possunt sine dispensatione de nouo contrahere in facie Ecclesiæ, & grauitèr puniendi sunt.

74. Matrimonia inter hæreticos, hac forma Concilij non seruata, contracta, sunt irrita; si in Parochia, vbi isti hæretici degunt Concilium fuit publicatum, secus si non fuerit publicatum, quia tunc matrimonium tenet.

75. Benedictionem à proprio Parocho fieri. Proprius Parochus benedicere sponfos debet, non obstante quacunque consuetudine contraria, & immemorabili.

76. Qui sit proprius Parochus, qui sponfos benedicere debet, cum viri accedunt ad contrahendum ad terras, & domos vxorum, vbi diu remaneat antequam cohabitent? R. Congregatio Concilij censuit eum esse, qui proprius Parochus vxorum sit, quando scilicet viri ad earum domos accedunt pro contrahendo, & consummando matrimonio.

77. Non cohabitent. Sponsus qui sponsam stuprauit ante matrimonium per verba de presenti iuxta formam Concilij contractum, non potest ab Episcopo puniri pœna contra stupratorem à sacris Canonibus inflicta, & maxime si sponsa ante matrimonium id petierit: sed ambo sunt arbitrio Ordinarij grauitèr puniendi per statutum in hoc capite.

78. A proprio Parocho fieri. Is erit proprius Parochus, qui Parochus vxorum est, quando scilicet viri ad earum domos accedunt pro con-

tra-

trahendo, & consummando matrimonio.

79. Ex hoc textu quidam Parochi instabant contra Archiepiscopum Ecclesiæ Syracusanæ, negantes ei amplius deberi decimam auri partem, quam percipiebat ex annulorum nubentium benedictionibus; solus enim Parochus ex hoc capitulo benedicit. Contrarium tamē censuit Congregatio, quia ille denarius non debetur ratione ministerij illius dicti, sed loco præbendæ, ad sustentationem suæ dignitatis; & cum ab immemorabili tempore ita fieri cōsueuerit, non est tollenda hæc laudabilis consuetudo.

80. Alij Sacerdoti. A proprio contrahentium Parocho, vel alio Sacerdote, cui ipse Parochus, vel Ordinarius dederit licentiam, benedictio Sacerdotalis contrahentibus matrimonium est facienda; iuxta hoc decretum, non obstantibus quibuscunque.

81. Ipso iure tam diu suspensus maneat: Id est, sublata pœna excommunicationis, de qua in *Clem. 1. in fin. de priuil.*

82. Tam diu suspensus maneat. Præsupposito, quod Rector habeat parochianos in duab. diocesis, & quidem in vna ipse parochialis cum maiori parochianorum parte existat: altera sit domus Rectoris, in qua modo ipse, modo eius Capellanus residere consuevit, ac propterea in suspensionem inciderit, an absolutionem obtinere debeat ab Ordinario, in cuius diocesi ipsa Ecclesia existit; vbi etiã præsupponitur habere domū conductitiam, vel potius ab alio, in cuius diocesi Rector habet propriam domum, maxime si parochiani sic coniuncti matrimonio fuissent

sent eiusdem diocesis? R. Congregatio censuit ab Ordinario, ubi fuerunt parochiani coniuncti matrimonio, quando commissum fuit delictum.

DE COGNATIONE SPIRITUALI,  
quæ in Baptismo & Confirmatione  
contrahitur.

*Declarationes Sacra Congregationis.*

S E C T I O I V.

85. **C**ognationis spiritualis, Bulla Pij V. declarationis cognationis spiritualis est, de cognatione spirituali contracta ante Concilium, contracta vel contrahenda post Concilium. Qui contraxit igitur ante Concilium matrimonium, indiget dispensatione. Unde valet matrimonium inter filium suscipientem & baptizatum absque dispensatione, contractum post publicationem, & S. N. D. Gregorius XIII. dubitantibus, an esset reuocata illa declaratoria Pij V. quia regula, respondit non videri reuocatam, quia est magis declaratoria, quam regula.

86. Congregatio Concilij declaravit hoc decretum retrahere ad præterita, adeo quod liceat omnibus, qui ante hoc decretum, à iure antiquo, cognationem spirituales contraxerint, modo non sint expressi in hoc decreto, contrahere matrimonium inter se, absque dispensatione Apostolica, & quia iam contraxerunt post Concilium, nulla indigere dispensatione, & ita declaravit Pius V. in una ex suis constitutionibus

bus 20. Augusti 1566. inserta inter regulas Cancellariæ eiusdem Pij V.

87. Sanctitas sua ad tollendum omne dubium, non eos tantum qui post Concilium, sed illos etiam qui ante, illam cognationem spiritualement contraxerunt, dummodo non sint ex personis, inter quas tantum Concilium voluit deinceps contrahi hanc cognationem spiritualement, matrimonij vinculo inter se, absque dispensatione aliqua, libere & licite copulari posse, ac matrimonia etiam post confirmationem Concilij absque dispensatione Sedis Apostolicæ inter eos iam contracta valere, plenamque roboris firmitatem obtinere declaravit, per bullam publicatam 20. Aug. 1566.

88. Nulla cognatio spiritualis contrahitur, nisi inter personas, quæ nominantur in hoc decreto.

89. Vnus, & vna. Episcopus non potest concedere licentiam, ut duo viri, loco viri & mulieris aliquem baptizatum de baptismo suscipiant.

90. Baptizatum de baptismo suscipiant. Procurator non contrahit cognationem spiritualement sibi, sed mandanti, hinc est, quod vnus & alter, qui sit procurator mulieris baptizatum de sacro fonte suscipere possunt: sed non duo viri, vel duæ mulieres; vnusquisque tamē proprio nomine, vir loco mulieris, vel mulier loco viri.

91. Inter quos & baptizatum. Inter maritum, vel uxorem suscipientes, & baptizatum, baptizati que patrem & matrem, & quascunque alias personas, tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati in Concilio Tridentino nomi-

nomi-

nominatim non expressas matrimonium libere & licite contrahi potest.

92. Qui leuat, aut tenet procuratorio nomine nullam contrahit spirituales cognitionem. Ea quoque cognatio inter leuarum, & filium leuantis nullum est impedimentum; idem in filio baptizantis, vel confirmantis.

93. Spirituales cognatio contrahatur, spiritualis affinitas ex hoc decreto pertinet ad matrimonia contrahenda, non ad contracta dissoluenda.

94. Qui in Ecclesia fuit præsens ei, qui domi vere baptizatus, & deinde in Ecclesia fuerunt celebratae solemnitates, nullam cognitionem spirituales contraxit. Itaque committatur Ordinario, ut, si legitimis probationibus competierit dictum N. filium, prius domi fuisse vere baptizatum, declaret nullum inter N. ipsam, & dictum N. filium esse impedimentum cognitionis spiritualis.

95. Quem, vel quos elegerint. Congregatio censuit si plures suscipiant, omnes contrahere cognitionem; si non constat, quis primo retigerit, si plures sunt electi, vel nullus, si vnus est electus, ille tantum contrahit.

Est Glossa, sed bona; ut hæc declaratio non aduersetur Concilij Tridentini, intelligenda est, quando plures suscipiunt, certis à Parocho non designatis. Vide Nauar. c. 22, M. Man. n. 30. & ita cap. Quamuis de cognat. spirit. in 6. etiam nunc habebit ad hoc locum, quando plures suscipiunt, nullis certis designatis.

96. Cognationem spirituales, nullo pacto

con-

contrahant. Idem dicendum, si assisterent animo contrahendi compaternitatem, non tamen tetigerint. Idem dicendum de eo, qui leuauit a sacro fonte eum qui domi ob imminens periculum, fuit ante baptizatus. Quod si plures sunt designati, qui omnes baptizatum tenuerunt; qui omnes fuerunt admissi, nec constat, quot ex decreto Concilij fuerint designati ad contrahendum compaternitatem, omnes contraxerunt cognationem spirituales, qui tetigerunt: iuncto tamen parcho, *cap. ult. de cognat. spirit. in 6.*

## DE IMPEDIMENTO publicæ honestatis.

### *Declarationes Sacra Congregationis.*

#### S E C T I O V.

97. **I**ustitiæ publicæ honestatis. Hoc impedimentum intelligitur tantum in sponsalibus de futuro; secus si matrimonium fuisset per verba de præsentem, ut declarauit Pius V. per suam Bullam anno 1568.

98. **V**bi sponsalia. Scilicet per verba de futuro; non autem de præsentem, ita esse intelligendum, declarauit Pius V. in quadam Bulla sub dat. Calen. Iulij 1568. dispositio etiam huius decreti retrotrahitur, prout supra in præcedenti decreto de cogn. spirit. dictum fuit, ita declarauit Gregorius XIII. ex voto Congregationis.

99. **Q**uacunque ratione valida non erunt. Si sponsalia soluuntur de consensu, Congregatio censuit esse inualida.

X

100. Pri-

100. Primum gradum, Facultate huius decreti gaudent etiam illi, qui ante Concilium contraxerunt in secundo gradu, nam inter illos nulla affinitas præsupponitur.

101. Cum ait Concilium sponsalia valida non excedere primum gradum, loquitur de sponsalibus de futuro, quæ proprie ac vere sponsalia vocantur; non de sponsalibus de præsentis in matrimonio rato, quod in suo priori vigore relinquitur, & impedit in omnibus illis casibus & gradibus, quibus à iure veteri ante Concilium Tridentinum introductum erat Bulla Pij V. publicata 21. Iunij 1568.

102. Præsupposita declaratione per constitutionem S. D. N. Pij V. super hoc decreto, censuræ Congregatio oriri impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsentis, etiam nulliter contractis, omiſſa forma decreti Concil. Trid. c. 2. huius sess.

103. Qui ante Concilium Tridentinum in secundo gradu, publicæ honestatis erant, post Concilium publicatum, seu confirmatum ratum, & absque alia dispensatione contrahere possunt, & contractum inter eos matrimonium est validum, iuxta formam huius cap. 3.

104. Sponsalia de præsentis ante ætatem, etiam vnus, secuta carnali copula, non tranſeunt in matrimonium.

105. In iustitiæ publicæ honestatis affinitate ex fornicatione attenditur remotior gradus.

106. Item Congregatio censuit, ex matrimonio per verba de præsentis copula non secuta, non oriri affinitatem; remanet tamen impedimentum



tum hoc vltioris gradus ex declaratione Pij V. sub dat. Calend. Iulij 1568. & ita etiam fuit decretum per Congregationem 17. Aprilis 1568. & de ordine Sanctissimi præter Cardinales interfuerunt omnes priores ordinum, & tres Reuerendissimi.

107. Hoc decretum procedit in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sicut præfertur, contracto; ita declarauit Pius V. per breue expeditum 1. Iul. 1568.

108. An ex sponsalibus contractis per hæc verba: Promitto te ducere vxorem, si factis denuntiationibus non apparebit aliquod impedimentum, oriatur impedimentum publicæ honestatis? Congregatio Concilij censuit, non oriri.

109. An ex matrimonio contracto per verba de præfenti, non consummato oriatur affinitas, vel impedimentum publicæ honestatis? Resp. Congregatio, non esse impedimentum affinitatis, sed impedimentum iustitiæ publicæ honestatis, & fortius ac maius vinculum, quam impedimentum iustitiæ publicæ honestatis ex sponsalibus de futuro, & hoc Concilij decretum non loquitur de hoc impedimento, sed de illo tantum ex sponsalibus de futuro, ex quibus gradus istius impedimenti colligitur, non intelligi ad secundum gradum redactos, sed tantum illos, qui contrahuntur ex sponsalibus de futuro, vt per Bullam felicis record. Pij V.

sub dat. Romæ.

D E A F F I N I T A T E E X  
Fornicatione.

*Declarationes Sacrae Congregationis,*

S E C T I O VI.

110. **D**ispositio huius decreti etiam retrahitur, prout supra in præcedentibus Decretis cap. 2. & 3. de Cognatione spirituali, & iustitia publicæ honestatis, dictum fuit: & ita etiam declaravit S. D. N. Gregorius XIII. Ex voto Congregationis Concilii hoc cap. intelligendum esse.

111. Propter affinitatem ex fornicatione. Hoc decretum restringitur, & declaratur, prout supra cap. 2. fuit annotatum. Personæ, quæ matrimonium contraxerunt ante Concilij confirmationem, in gradu olim de iure communi prohibito, & per hæc & alia decreta hac in sessione præmissa, non possunt manere in matrimonio licite sine vlla dispensatione iuxta tradita per Glossam in cap. *non debet, de consanguinitate, & affinitate in verbo de cætero.*

112. Qui in primo, & secundo gradu coniunguntur. Congregatio Concilij censuit impedimentum tertij gradus affinitatis ex fornicatione contractæ, sublatum esse ex hoc capitulo Concilij: ideo eo non obstante, matrimonium posse contrahi absque alia dispensatione Apostolica, etiam quod huiusmodi affinitas contracta fuisset ante confirmationem Concilij, declaravit Pius V. anno 1566. 20. Augusti.

113. Primum & secundum gradum affinitas ex

causa

causa fornicationis proueniens non excedit, mod procedit etiam in illis matrimonijs, quæ ante Concil. fuerunt contracta.

114. Qui fornicatus est etiam leuiter cum muliere, cuius sororem postea duxit in vxorem, indiget dispensatione, & filij, quos ex tali matrimonio procreauit, illegitimi sunt.

115. Inter personas, quæ siue post, siue ante Concilij confirmationem affinitatem infra secundum gradum ex fornicatione prouenientem contraxerunt matrimonium, post Concilij Tridentini confirmationem sine Sedis Apostolicæ dispensatione contractum validum est, nec dirimi debet, dicta Pij V. declaratio. (Ad cuius notitiam) Congregatio Concilium censuit idem de impedimento affinitatis superueniente post matrimonium contractum.

116. In primo gradu transversali dispensatur ex causis ordinarijs, in descendentes non nisi ex causa magna.

117. In vltioribus vero impedimentum est illud, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu coniunguntur, restringitur; in vltioribus vero gradibus non dirimit. Habet etiam locū, & comprehendit sponsalia per verba de futuro contracta, vt censuit Congregatio.

118. Non dirimere. Neque impedit contrahentes iuxta supra dictam Bullam Pij V. Calendis Iulij 1568.

119. Fuit sublatum etiam impedimentum per Bullam Pij V. sub dat. 4. Calen. Decembris anni 1. quod impediēbat posse contrahi matrimon.

120. Sanctus Dominus Noster Gregor. XIII. ex sententia Congregationis dixit hoc decreto sublatum censeri impedimentum quoque superuenientis affinitatis post contractum matrimonium; quia si impedimentum dirimens sublatum est, quod maius est: ergo & istud, quod solum impedit, ne is per quem contracta est affinitas sine peccato possit exigere debitum, quod minus est; præterea consilium sustulit tertium, & quartum gradum in omnibus.

DE DISPENSATIONIBVS  
in gradibus prohibitis.

*Declarationes Sacra Congregationis.*

S E C T I O VII.

121. ¶ Intra gradus prohibitos quarto, & quinto gradu coniuncti non prohibentur, quia inuicem contrahere possint. Idem dicendum, si essent coniuncti in tertio & quinto gradu, non enim comprehenduntur sub isto decreto, & sic non indigent dispensatione.

122. Si qui intra gradus prohibitos scienter matrimonium. Qui se cognouerunt carnaliter, sine tractatu & cogitatione matrimonij, postea volentes matrimonium contrahere, & petentes secum dispensari in aliquo impedimento, & racentes carnaliter se cognouisse, si obtinent ex aliqua causa iam probata dispensationem, potest dici obreptitia, aut subreptitia, & sic nullam obtinuisse ex eo solo, quia non narrantur cognitionem carnalem.

123. Spe dispensationis. Quando scilicet impeditur

XIII. *plimentum* prouenit ex consanguinitate, & *nitate*, non autem ex impedimento iustitiæ *publicæ honestatis*, ad quod prohibitio non se *atendit*.

114. Sic enim indigent noua dispensatione, *ui* obtinuerunt literas, & eis non præsentatis; *el* quia nuncium habuerunt dispensationem *uisse* obtentam, vel supplicationem datam, *contraxerunt*, vel se carnaliter cognouerunt.

115. Quod si ignorant. De petitione eo- *rum*, qui contractis sponsalibus, post publica- *tam* tamen confirmationem Concilij denun- *ciandi* necessitatem in matrimonio non serua- *tam*, in postulatione dispensationis expresse- *runt*, ut ipsi dicunt, errore agentium, ante Con- *cilij* Trid. confirmationem esse facta sponsalia, *non* conceditur dispensatio.

116. Si vero solemnitatibus. Illis, qui ignoran- *tes* gradum post Calendas Maij 1564. petentes *dispensationem* in locis, ubi non esset publica- *tum* decretum de clandestinis matrimonijs cen- *suerunt* eam dandam esse gratis: hoc locum ha- *bet* in compositionibus, non in mercede, quæ *solutur* ob expeditionem bullarum.

117. Probabilem ignorantiam. Non debentur *dispensationes* matrimoniales sub prætextu *ignorantiæ* decretorum Concilij, si hæc igno- *rantia* fuerit post Calendas Maij, sed tamen in- *telligatur* ex narratione facti.

118. Cum ijs, qui post Calendas Maij, ignoran- *tes* contraxerunt in tertio vel quarto gradu, & *allegatur*, quod non fuerit publicatum in paro- *chia* sua decretum de Reformatione matrimonij, *dispensari* potest.

129. Placuit quod tertium tantum, qui ignorantibus gradum non clandestine contraxerunt post Concilij confirmationem; dum tamen eorum ignorantia probabilis fuerit. Item pro ijs, qui ignorantes contraxerunt, aut in tertio aut quarto modo factis probationibus iuxta formam Concilij Tridentini habetur notitia impedimenti.

130. Pro ijs etiam qui in tertio, aut quarto gradu propter angustiam loci, aut quod non inveniuntur paris conditionis: similiter, qui vult ducere in vxorem sibi attinentem pauperem constituendo illi dotem, aut etiam pro sedandis litibus aut discordijs, contrahere volunt, visæ fuerunt legitimæ causæ ad dispensandum de contrahentibus, dummodo gratis prorsus, & in tertio maturius procedatur.

131. Idem seruandum est in casibus supradictis, in matrimonijs per verba de futuro publicatis, præcedentibus, aut subsequutis osculis, aut per fidei, vel munerum dationem, quæ in nonnullis provincijs vim habent matrimonij contracti per verba de præsententi. Placuit dum huiusmodi sponsalia contracta sint ante confirmationem Concilij, & fuerint proclamata interuentibus aliquibus supradictis actibus, etiam de tertio gradu, qui possunt accipi, componendas fore.

Sed non possunt cogi isti, qui contraxerunt ad petendam dispensationem, etiam si matrimonium esset consummatum, si nolent petere, & vellent resiliere, vel alter eorum.

132. Et gratis dispensari poterit. Decretum

Con-

Concilij, quod ait dispensationes gratis concedantur, habet locum in compositionibus, non in mercede, quæ soluitur propter expeditionem bullarum ex congregationis sententia.

Gratis adeo dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quod etiam Ordinarij, quibus istæ dispensationes remittuntur, suum officium gratis præstant, ut nec ipse Vicarius aliquid suscipiat pro mercede; notarius vero examinando testes, & sumendo cæteras informationes, quartam partem auri seu ducati accipere possit, pro literis vero absolutionum, & dispensationum in foro conscientiaæ tantum, nihil à quoquam accipi possit, ut Romæ fit.

133. In contrahendis matrimonijs. Contractantes in gradibus prohibitis, quando dubitatur an sint in quarto vel quinto, Arbitrio Ordinarij hoc relinquitur, ut credat illis testibus, & probationibus, quæ ei magis probare videntur.

134. Congregatio tamen idem censuit in sponsalibus.

Idque ex causa. Causa est legitima, si dos non esset competens, in quarto tamen gradu.

135. Pro dispensatione in quarto gradu consanguinitatis sufficit, quod omni adhibita diligentia, mulier, cum qua dispensatur, non inueniat alium virum parem, cui nubere possit.

136. Iusta causa dispensationis matrimonialis est, causa dotis incompetentis; & satis est si eo in loco in quo mulier habitat, ipsam diligentiam adhibeat in perquirendo virum parem, à quo cum tali dote in matrimonium duceretur, neque tamen inuenerit.

137. S. D. N. ex sententia Congregationis respondet, dispensationem subreptitiae obtentam non videri, cum in supplici libello dictum fuit de loci angustia, si modo verum est Oratrices in eo loco, vbi contrahendum sit matrimonium, viros sibi non consanguineos paris conditionis, quibus nubant inueire non posse.
138. Causae legitimae dispensandi in gradibus prohibitis sunt haec angustia loci, quando non inveniuntur paris conditionis, quando diues vult ducere pauperem, vel indotatam constituendo illi dotem, quando vult ducere ob lites & inimicitias sedandas.
139. Quando dispensatio conceditur ob incompetentiam dotis, sufficit, quod ista incompetencia sit respectu personarum, quae degunt in loco mulieris; ideo si in loco vicino essent aliqui non coniuncti, qui mulierem cum sua parua dote acciperent, per hoc dispensatio non vitatur.
140. Cardinales Concilij Tridentini habent facultatem à Papa declarandi quae sunt causae dispensationis matrimonialis, & quo sensu sunt illae accipiendae; causa vero dotis non sufficientis est iusta, vt quis in quarto consanguinitatis gradu dispensari possit, pro cuius verificatione sufficit, si in eo loco, in quo mulier habitat, ipsa diligentiam adhibeat in perquirendo virum parum, à quo cum tali dote in matrimonium ducatur, neque tamen inueniat.
141. Qui contraxerunt in tertio & quarto gradu etiam post confirmationem Concilij, antequam tamē illius confirmatio innotesceret, poterunt simpliciter dispensari.



142. In ciuitatibus etiam, aut locis ubi ob ciuitatum paucitatem, vel quia pauca pars illorum inter se cognatione coniuncta non est, ita ut difficile cum alijs matrimonium contrahere possint, erit hæc iusta causa cum illis dispensandi in quarto, & quandoque in tertio.

143. Qui contraxerunt sponsalia ante Concilij confirmationem, cum essent in gradu prohibito & tunc volunt contrahere matrimonium, non poterunt absque causa dispensari: causa idonea videtur si conuersatio cum sponsa, aut publicatio sponsalium præcesserit, aut quid simile præter alias causas à iure receptas.

144. Et gratis concedantur. Gratis adeo dispensationes matrimoniales sunt, quod etiam Ordinarij, quibus istæ dispensationes committuntur suum officium gratis præstare debeant, examinando testes & sumendo cæteras informationes.

145. Vicarius Episcopi nihil prorsus potest accipere, siue pro laboribus in studendo processu, siue pro decreto super dispensationibus matrimonialibus habitis à Sancta Sede Apostolica.

146. In secundo gradu nunquam Pius V. declarauit hoc intelligi de gradibus affinitatis & consanguinitatis: Congregatio tamen idem censuit in sponsalibus.

147. Decretum fuit in Congregatione capitulo tertio, supra loqui de sponsalibus de futuro, iuxta bullam Pij V. ad Romanum anni 1568. prima Iulij, textum vero loqui de matrimonio contracto & consummato, quia verba contextus id ita esse ostendunt. De matrimonio vero

raro tantum nihil haberi in hoc Concilio Tridentino, sed illud prout de iure esse maius quoddam impedimentum, quin sint sponsalia, & idecirco remittendum iuris dispositioni, & prudentiæ Sancti Domini Nostri, qui procerum & causarum varietate prouidebit singulis casibus.

148. Cum ijs, qui contraxerunt in secundo ante ætatem post Concilij confirmationem sub spe dispensationis obtinendæ, & præsertim si venerunt ad curiam, atque agere cœperunt penitentiam salutarem, ipsis impositam, videretur dispensandum esse, etiamsi nulla signata sit supplicatio.

149. Congregatio Cardinalium Concilij censuit dispensationem subreptitiam, si inter consanguineos vel affines, vel spiritali cognatione coniunctos carnalis copula præcessisset, cuius mentionem in supplicatione non fecissent, propterea quod tales consanguinei, & affines, aut cognati spirituales per hanc carnalem copulam redditi sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium, eo quod dicuntur commisisse inccestum, quod impedit inccestuosos contrahere matrimonium: ideo pro tali validitate dispensationis super gradu, necessariam esse de iure expressionem copulæ carnalis, prout stylus curiæ obseruat.

150. Facta relatione sanctissimo in Consistorio, Sanctitas sua visa est annuere concessionem istarum dispensationum pro ijs, qui se carnaliter cognouerunt prout ante solita erat, cum ista

er-

expressione copulæ, etiamsi non exprimeretur, quod publica facta esset.

151. Si post impetratas litteras dispensationis ante illarum præsentationem & decretum Ordinarij, se cognouerunt carnaliter, nullis factis, aut adhibitis solemnitatibus committantur Ordinario; quod si dictæ literæ dispensationis sibi præsentabuntur, & causa in eis expressa probabitur legitima coram se, ac quod Oratores post impetratas litteras se cognouerunt, dispenset cum eis, iniuncta tamen ipsis salutari pœnitentia propter incestum arbitrio suo.

Quod si tales contraxerunt coram Parocho habita notitia obrentæ dispensationis, & se carnaliter cognouerunt, committitur vt supra, & additur, & punito paroco, qui non seruata forma Concilij coniunxerit oratores in matrimonium, & grauius si tunc sciuit illos in gradu prohibito se attinere, nec litteras dispensationis vidit.

152. Qui Romam miserunt pro dispensatione & habito nuncio quod literæ fuerunt expeditæ, contraxerunt, vel se cognouerunt, & ita verum est fuisse expeditas, & habere datas ante contractum, vel commissionem, dandas dispensationes esse Congreg. Cardinalium censuit.

153. Idem visum est etiam quod literæ non essent expeditæ, sed supplicatio signata, data, & ex toto expedita.

154. Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini censuit dispensationem reddi nullam, ex copula præcedente dispensationem, si de ea

non fuerit facta mentio in supplicatione, copulam vero superuenientem post dispensationem ab Ordinario factam, non impedire matrimonij validitatem.

155. Episcopus auctoritate Ordinaria non habet facultatem in gradibus affinitatis, seu consanguinitatis à iure prohibitis contrahentes matrimonia dispensandi.

156. Qui contraxerunt in terio vel quarto gradu etiam post confirmationem Concilij prius tamen, quam illis innotesceret, confirmatio possunt simpliciter dispensari etiam in ciuitatibus vel locis, vbi propter paucitatem ciuium, vel tantum magna pars illorum inter se cognatione coniuncta est, solent dispensari; causa vero dispensandi in sponsalibus ante Confirmationem Concilij, cum essent in gradu prohibito, est conuersatio cum sponsa, aut præcedens publicatio sponsalium; sic Congregatio censuit matrimonium contractum per verba de præsentis de anno 1566. circa decimum vel vndecimum annum ætatis mulieris, in reliquis seruata forma Concilij Tridentini subsequuta carnali copula; & ex tunc, ac simul cum viro cohabitatione per multos annos an hodie post legitimam ætatem ipsius mulieris transeat in verum & validum matrimonium eadem forma dicti Concilij Tridentini non adhibita? R. Congregatio Concilij censuit non transire, nisi iterum coram Parocho proprio contrahant, per verba de præsentis iuxta formam Concilij si modo tempore aduenientis pubertatis mulieris ante copulam publicatum fuerat in parochia contrahentium

hentium hoc decretum Concilij & elapsi erant  
triginta dies à prima publicatione sic etiam sæ-  
pius respondet. Congregatio in casu etiam quo  
mulier habebat circiter duodecim annos, & sic  
videbatur proxima pubertati, quæ cohabitavit  
quatuor annos cum viro, sed non se cognoue-  
runt carnaliter. Prætendebatur enim mulie-  
rem esse arctam, cuius causa fuit dissolutum  
matrimonium, deinde inuenit, qui reseravit se-  
ras. Vir repetebat mulierem ex capitulo fra-  
ternitatis, de frigid. & maleficijs. Illa noluit  
redire; sed opposuit de nullitate  
matrimonij.

F I N I S.

